

Ratione *qualitatis* corpora periclitantur, quando nimirum varii generis cibi potusquè assumuntur, præprimis autem pravum præbentes nutrimentum, uti sunt frigidi & humidi, nimis pingues, carnes antiquorum animalium, pisces crassi, fructus horarii, legumina, lacticia, vinum recens, cerevisia feculenta, acetum, aqua palustris, & quæcunque pituitosos, crassos, biliosos & serosos in corpore, (parte aliqua) in ipso etiam utero, prævè alimentum sibi commissum conficiente, generare possunt.

*Medicamenta cathartica* suum huc conferunt symbolum, teste *Platero*.

*Thermæ* etiam hoc vitium contrahere possunt, norante *Sennerto*.

*Modus utendi* illegitimus quantum ad vitiosorum humorum in corpore syndromen conferat, nemini non liquet. Si verò ordo amatur, immaculatum à foedissimo fluoris squalore atque foetore sequiorem sexum manere, ab experientiâ notum est.

Ingluvies ergò, quâ cibaria & potulenta materia & qualitatibus diversissimæ, & prioribus à ventriculo nondum edomitis, ingeruntur, ducunt mulieres ad morbi hujus supplicium.

SOMNUS & VIGILIAE ὑπερβολῶν facientes, corpus intactum ab hoc malo relinquere nequeunt.

MOTUS nimius quoque hujus affectus est autor, teste *Aegineta l. 3. c. 63*. Nimiò enim factò agitantur corpora, dissipantur spiritus, funduntur humores, & per hanc Διὰ χυσιν vitiosis humoribus totum corpus replent, qui ante erant in πάσαι καὶ συμπίξαι, & ad uterum feruntur.

Eodem notanda carbone est nimia QUIES, quæ corpus hebetat, circulationem sanguinis retardat, & ad excremento-

mento-